

tionis, sed & instrumentorum omnium in libello narratorum exemplum reliquerit. In quo, si quid vel minimum peccatum & omissum sit, nova citatione opus erit, ac si neq; libelli, neq; citationis exemplum datum fuisset.

ARTICVLVS XI.

ET quia in iis litibus, quas ab executione incipere moris est, non idem seruari potest, quarum tamen cito expediendarum maior videtur subesse necessitas, quam cæterarum, necessaria erit in posterum acturo, cui libet oblatio libelli ne quid ex supradictorum obseruatione remittatur, salua tamẽ licentia per libellum vt executio permittatur. Quod vtique permittendum erit à Iudice si competens ille sit, qui aditus fuerit, idque in casibus illis omnibus, in quibus huc vsq; receptum est, vt possit incipi ab executione, siue ex literis generalibus, quas de debitis vel manus munitæ vocant, siue ex aliis præcisam coactionem imperantibus, nil obstante intercessione aut appellatione quacunque, & eius tamen iure saluo, sicut ante obseruabatur. Aut si malit actor literas illas de debitis aut manus munitæ, aut alias huiusmodi præcisas impetrare, quæ à Graphario & actorum Magistro, nullo etiam libello aut Iudicis decreto interveniente concedi solent, & ab ea executione incipere, liberum quidem illi erit hoc facere, sed ita tamen, vt si qua intercessio vel appellatio emerget, cogendus sit offerre libellum, & omnia supradicta obseruare, prius quàm vllum ex eiusmodi executione fructum reportare possit, aut admitti ad litem ulterius prosequendã, manente tamẽ Principis, & vt aiunt, iustitiæ

non actoris manu munita, quousq; vel per aduersarii vocati comparitione vel aliter constet Iudici, rite satisfactum in omnibus, per actorem. Quo demum tempore permittendum ei erit, vt fructum executionis plenissimum consequatur.

ARTICVLVS XII.

EXcipiendæ tamẽ sunt executiones quas fieri necesse erit, pro debitis aut fiscalibus, aut alia de causa ad Principis vel etiam reipubl. utilitatem pertinentibus, in quibus nihil innouandum erit, sed obseruanda ea omnia quæ edictis, statutis, & Senatusconsultis in eam rem factis continentur.

ARTICVLVS XIII.

Postquam Actor supradictis omnibus satisfecerit, de quo docere debet per productionem à se faciendam in manibus Grapharii in actu ipso presentationis, tenebitur similiter reus comparendo ad dictam diem aut saltem intra tempora constituta respondere ad omnia contenta in libello cum iuramento per eum præstando personaliter aut per Procuratorem instructum distincte, articulatim & categorice per confessionem aut negationem simplicem & absolutam, ita vt non liceat ei libellum negare in folle & confuse. Nec si omnia prorsus in eo contenta negare veller, & addere quod pleriq; addunt, per singulos articulos. Sed omnino teneatur responsionem suam siue confessionem, siue negationem inferre ad pedem, vt loquantur, cuiusq; articuli, non est per scripturã separatam: neque rursus admittantur post hac responsiones, quales in hunc vsq; diem frequentatas vidimus. Refert se ad ea, quæ ex parte sua,